

sunt, non autem ratione denominationis. Ab æternò fuit λόγος, Christus autem dici cœpit post adsumtam carnem. Nomen Christi quidem tribuitur etiam huic personæ ante incarnationem, 1. Corinth. X, 9. factum autem est cum respectu ad incarnationem.

## II. Est personâ.

*Personæ* vocabulum accipitur, quatenus notat essentiam una cum πρόσωπον ἰσάξεως seu quatenus notat substantiam individuum, intelligentem & incommunicabilem alteri personæ.

## III. Una.

1. Ut indicetur discrimen inter sententiam *orthodoxorum* & *beterodoxorum* seu Nestorianorum, ex quorum mente in Christo fuit ἄλλος καὶ ἄλλος, alia atque alia persona.
2. Unitas, non *Eurychianò sensu* dicitur, quasi humanitas in divinitatem abierit, sed sensu *orthodoxò*, quatenus inter duas naturas in Christo intervenit arctissima unio.

## IV. E duabus naturis.

1. Non est *simplex* persona, sed *composita*.
2. *Simplex* dicitur, quando una natura propriam subsistentiam determinat, ut per se ipsam subsistat, ita Pater in divinis, & Spiritus Sanctus.
3. *Composita* autem dicitur, non ut cogitetur compositio *ordinis communis*, sed singularissimi. Hæc compositio non habet similitudinem in naturâ.
4. Non est hoc locò nomen *imperfectiois*, sed *absolutæ perfectionis*.
5. Non est compositio *ratione partium*, (quod constet divina natura Christi ex pluribus partibus) sed *ratione extremorum*.
6. Composita est, non quod sit ἐξ ἑτέρων ἐν τῷ, sed ἐκ Διφθερότητων ἐν τῷ.
7. Compositio non cogitanda, quod divina persona sit passa alterationem in se, sed quatenus post incarnationem hypostasis est duarum naturarum, quæ prius erat unius.

## V. Divina.

De hæc in articulò de Trinitate actum.

Divina natura vel dicitur *absolutè & simpliciter*; vel *respectivè & singulariter*. Priori modò notat naturam tribus personis communem; posteriori modo notat naturam certæ personæ, ut hoc locò accipitur.

2. Christus dicitur DEUS non quatenus vocabulum DEI accipitur θεῶς, θεῶς,